



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Ad quid edicta magistratus prosint

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

chia, Nabuchodonosoris & Darij apud Danielelem.

SIMON. Potestatem ne habent in animum & spiritum hominis? aut fidem edictis suis in pectora hominum imprimere possunt? IOIADA. Haudquaquam. In hoc uero edicta eorum prosunt, ut minus noceant impij, minus offendiculi, idololatriæ & blasphemie designent, per quæ saepe numero infirmi, uel ad Christum uenire impediuntur, uel à Christo deficiendi occasionem sumunt. Administratio ergo quæ per leges fit magistratum, hoc efficit, ut minus sit malorum inter mortales, ut pie, honeste, & tranquille uiuant: utcumq; intus impij malitiam tegant, erumpere tamen non audent, ut cæteros, qui pie uiuere uolunt, turbent & offendant. Solus deus cor inspicit & iudicat. Probatam ergo hanc propositionem puto, quod magistratui sit parendū. Nam si magistratus Christianus est, hoc magis ei obedire conuenit. Si uero ethnicus & impius, parere rursum debes, etiam si te in corpore & rebus premat, modo à deo & ueritate non auocet. Sed firmiorem eam ex scripturis reddamus. Lucæ 20. Christus dare iubet Cæsari quæ Cæsaris sunt, & deo quæ dei. Per Cæsarem uero omnem in mundo magistratum intelligit, cui subiecta sunt corpora nostra & res nostræ, 1. Reg. 3. Animus noster dei est, & in hoc deo plus debemus quàm homini. Petrus sic docet: Subditi estote cuius humane ordinationi pro-

Administratio
per leges fit
magistratum
etiam si
sit malus
inter mortales

pter dominū, siue regi tanquam præcellenti, siue præsidibus ab eo missis, ad uindictam quidem nocentium, laudem uero recte agentium: quoniam sic est uoluntas dei, ut benefaciendo obturetis os hominibus ignorantibus &c. SIMON. Non ita dudum docuistis ex Esaia & uerbis Christi frustra coli deum mandatis & præceptis hominum: iam ex Petro diuersum imò contrarium adseritis, parendum scilicet esse omni humanæ ordinationi. IOIADA. Huma-

Traditiones
humane in
duplici sunt
differentia.

frange frange
hinc pueri int
augmst hinc

ne traditiones seu cōstitutiones bifariam dici possunt. Quædam in hoc constituuntur ut cultus sint dei, quas homines alijs præscribunt, quasi necessarias ad salutem, quas si homo omittat, peccet: si fecerit, deum demereatur. Et his mandatis, quæ pura figmenta sunt hominum, frustra colitur deus. Sunt rursus cōstitutiones quædam magistratuum de hereditatibus, de proprietatibus, de uenditione, locatione, de contractibus publicis, & quidquid huius generis est de quibus principes & magistratus ad pacem & tranquillitatem publicam statuunt. Hisce omnibus omnes obedire tenentur. Et de talibus loquitur Petrus, ut ex uerbis eius satis apparet. Atq; hæc non ethnicis, sed Christianis passim dispersis scribit Petrus 1. Petri 2. Ad Titum 3. capite sic habet Paulus: Admoneto illos, ut principibus & potestatibus subditi sint, ut magistratibus pareant, ut ad omne opus bonum sint parati, ne de quoq; male dicant